

Bibliothèque numérique

medic@

**Capuron, J.. - Dissertatio de spuria
graviditate**

1811.

Paris : E Typis Crapelet

Cote : 90974



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?90974x1811x01x04](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90974x1811x01x04)

AD PUBLICAM DE OBSTETRICII PALMA ÆMULATIONEM.

DISSERTATIO
DE SPURIA GRAVIDITATE,

*Quam in almâ Facultatis Medicæ parisiensis aulâ
proposuit atque tueri conatus est,*

Die 2^a mensis 7^{bris} anno 1811,

J. CAPURON, Doctor-Medicus Parisiensis.

PARISIIS,
E TYPIS CRAPELET.
1811.

0 1 2 3 4 5 (cm)



DISSERTATIO

DE SPURIA GRAVIDITATE

Præses, D. DE JUSSIEU.

Judices, DD. { LE ROUX.
A. LE ROY.
CHAUSSIER.

{ A. DUBOIS.
BOURDOIS.
EVRAT.

Succedanei, DD. { LALLEMENT.
RICHERAND.
AUVITY.

PARISIIS
F. TYPIS GRAPPELLET.

1811.

ERRATA.

- Pagina 12, linea 5,* in pejus, *lege* in pejus;
ib. 11, quæ profectò malorum cohors *lege* quam profectò malorum cohortem
14, 6, exigus *lege* exiguus
ib. ultima, triquetro acu *lege* triquetrà acu

ΕΠΙΓΡΑΦΗ.

Ἡ δὲ κρίσις χαλεπή... Κρίνεσθαι δὲ χρὴ τῷ πληρώματι καὶ ὅ, τι οὐ κινείται ἐν τῇ γαστρὶ. Τὸ μὲν γὰρ ἄρσεν, τρίμηνον· τόδε γὰρ θῆλυ, τετράμηνον τὴν κίνησιν ἔχει. Ἐπὴν οὖν τῷ χρόνῳ παρελτόντος μὴ κινείται, δηλὸν ὅτι τοῦτο ἐστί. Τόδε τὸ τεκμήριον μέγα ἐν τοῖσι τιτθοῖσι γάλα οὐκ ἐγγίνεται.

ΙΠΠΟΚΡ. Περὶ γυναικείων.

DISSERTATIO

DE SPURIA GRAVIDITATE.

QUID spuria graviditas? Ea procul dubiò melius per negationem quam per affirmationem definiri potest : quippe quæ, genuinâ quam simulat absente graviditate, adsit. Neque tamen hanc et illam itâ oppositas credas, ut unâ sublatâ ponatur altera, quandoquidem sæpe neutrius, aliquandò utriusque causa, in muliere reperiatur.

Cum genuina graviditas adest, unus pluresve fœtuli in utero aut extrâ uterum existunt ; sin minus spuria sit, in hoc organo nihil aut quædam continentur substantiæ quæ fucum facere et peritissimas etiam obstetrices fallere possunt. Cui verò errori tunc ansam præbent variæ uteri, aut ejus appendicum, aut abdominis mutationes. Unde tria spurix graviditatis genera quæ triplici articulo exponere conabimur.

GENUS PRIMUM.

De spuris, quæ ab uteri mutatione, graviditatibus.

Uteri mutatio vel a conceptu pendet, vel ipsi aliena est. Ad priorem mola, ad posteriorem aqua, hydatidæ, sanguis, aer, polypi, hysteria, scirrhomæque respiciunt. De quibus infrâ totidem sectionibus.

SPECIES PRIMA.

De spurâ, quæ a molâ, graviditate.

Mola dicitur substantia quædam carnea, informis, sensûs expers, aliquatenus organica, vegetabili tantùm vitâ prædita, quæ in utero crescit, neque tandem expellitur.

Quæcûmque apud auctores nonnullos, vulgus et mulierculas, de

illius substantiæ origine et proprietatibus ficta pervagantur commenta, hæc inter aniles fabulas, chimericasque hypotheses recensenda atque sterili tantùm disputationi tradenda sunt.

Solus autem inter neotericos sanioris mentis esse videtur celeberrimus *Levret*, qui molæ generationem a depravato foetuli germine pendere existimat. Quâ positâ quidem opinione, varia molæ phænomena, tanquam ex unico fonte derivantur : scilicet ipsius nunc ad placentam, nunc ad gallinæcorum stomachum similitudo, mollities aut durities, humiditas aut siccitas, formæ varietas, unitas aut pluralitas, cum genuina graviditate complexio, major minorve cum utero adhæsus, in juvenculis vetulisque frequentia, in ætate media raritas, cum foetuli fragmentis, ossiculis, etc. commixtio, cavitas meninge obducta, plerumque humore plena, aliquandò vacua, hæmorrhagia uterina, etc.

Hinc discrimen expulsam molam inter et sanguinis coagulatum, et uteri scirrhomam quocum ab Aetio et Æginetâ confundebatur, et polypum qui a nonnullis nutritionis mola salutatur, et tumorem flatulentum, et vesiculam hydatigenam.

Si quibusdam scriptoribus fides, spuria, de quâ nunc, graviditas a genuinâ facillimè distinguitur. Verumtamen haud ita sentiunt practici quos in utrâque suppressi menstrua, solitos fastidiri cibos aut depravatos appeti, turgere mammas et abdomen, variasque circulationis, respirationis, digestionis, etc. anomalias concomitari minimè latet.

Neque majorem certitudinem faciunt quæ ad graviditatis usque metam progrediuntur incommoda, mammarum collapsus, latex serosus papillis emanans, non complanatum primis mensibus hypogastrium, regularis uteri globus, ipsiusque ad latera aut pubem versùs mobilitas. Hæc enim non molæ propria, verùm et genuinæ graviditati aliquando communia memorantur.

Quænam igitur tenenda via ut vitetur errandi periculum? Explorandine foetuli motus? Genuinam quidem hî graviditatem indicant, cum a prægnante aut obstetrice percipiuntur; verùm quis molam in utero existere asseverare audebit, etsi motus supradictos non sentiat? Nonne mulieres robustos aliquandò pepererunt infantulos quorum nullam toto

graviditatis curriculo conscientiam habuerant? Quinimò, cum molæ utero gererentur, non semel spastici abdominalium viscerum subsultus pro fœtulum motibus habiti sunt. Tandem cuinam tanta fuit obstetrici indigito solertia, ut molam fœtulo contiguam et quasi consanguineam distingueret?

Quantâ igitur cautelâ de investigandâ graviditate negotium suscipienti opus sit nemo non videt. Cum autem semper in dubiis tutior pars eligenda sit, ideirco donec plures post solitum partus terminum menses elapsi fuerint expectandum est, ne turpis atque periculosus admittatur error.

Neque adeò pertimescendam molæ in utero habitationem credas; quippè quæ ultrâ anni spatium, salvâ et integrâ muliere, prorogari possit. Errarunt igitur auctores qui tunc mortem pseudo-gravidis semper imminere existimarunt.

Hinc temeritatis crimine redarguendi sunt qui præmaturè aut intempestivè phlebotomiâ, vomitoriis, drasticis, ecbolicis, sternutatoriis, etc. molæ expulsionem sollicitant.

Laudanda verò eorum praxis qui hanc solis uteri viribus functionem committunt, ipsi tamen properum, si opus est, adjutorium daturi. Tunc autem genitalia, præsertim uteri cervicem generali aut locali balneo, fumigio, tepidâque injectione relaxare plurimum confert. Si hæmorrhagia, convulsio aut syncope acciderit, mola manu aut instrumento extrahenda est. Quæ si perseveraverint, ad eadem quæ post naturalem fœtûs aut secundinarum expulsionem auxilia recurrendum erit. Caveas imprimis ne pseudo-prægnans cum sanguine vitam amittat: quamobrem vehementer excitanda uteri contractio, ut angustiores vasorum canaliculi tardiores hinc latici moram faciant.

SPECIES SECUNDA.

De spuria, quæ ab hydrometriâ seu uteri hydrope, graviditate.

Unde aqua in uterum? An a depravato fœtuli germine? An ab abdominali hydrope per tubas fallopianas? An ab adauctâ exhalatione aut

imminutâ resorptione ? An denique a kysti generatione unde postea seri excretio ? Sed hæc ad eos quos vana mordet cavillandi aut disputandi prurigo.

Mulieres , rarius quidem vigente , sæpius verò languente aut abolitâ fæcunditate , hydrometriæ obnoxias esse neminem parumper in arte versatum fugit. Qui verò morbus lentius ociusve progredi , magis minusque invalescere solet : inde variæ uteri , hypogastrii , totiusque abdominis mutationes. Si Skenkio fides , mulier quædam , mirabile auditu ! centum et octoginta seri libras utero gerebat.

Hanc igitur spurix graviditatis speciem a genuinâ distinguere plurimi interest. Verùm hoc opus , hic labor , non quidem theoreticis quorum lingua vel intricatissimas quæstiones enodat , sed practicis quorum manus sexcentis plerumque difficultatibus irretitur. Quapropter obstetrices celerius hæc de re judicare non oportet.

Atqui profectò , saltem ineunte morbo , haud facile declinatur error ; quippe quod eadem tunc , sed incerta aut æquivoca tum genuinam cum spuriam graviditatem signa concomitentur ; utrinque enim major uteri moles , gravitas , uterinx cervicis et orificii mutatio , incommoda , molestiæ , etc.

Ergo dum lux fiat expectare oportet. Tenebræ autem quarto quintove circiter mense dissipari solent. Tunc quidem temporis moveri fœtum , si mulier prægnans , prominere et antrorsum acuminari hypogastrium , turgere et consolidari mammas ; quæ omnia prorsus exulant , cum serosi laticis collectio genuinam graviditatem mentitur. Hanc enim indicant fluctuatio , uteri mollities et gravitas , spherica ejus forma , mammarum collapsus , siccitas , marcor , etc.

An verò facilis idiopathicam inter et symptomaticam hydrometriad distinctio ? Quædam-ne liquidum kysto aut uteri cavo tantùm , cum vel sine fœtulo , contineri indignant ? Respondeant practici.

Supradicti autem hydropis , quæcumque sit natura aut indoles , rarò cum bonis agræ rebus existere videtur. Nisi enim semper , plerumque saltem generationi obstat , sive fœtum corrumpat , sive ejus maturitatem retardet aut impediat.

Si fluctuanti liquido viam aperiant, mox recidivæ ejus collectioni obviam eant obstetrices, tota duplici hoc cardine volvitur morbi curatio. Ad primum, uterinæ cervicis relaxatio per balnea, fomenta, fumigia, injectiones; quæ nisi satisfaciant, orificium digito cautè dilatare oportet; id, si membrana obturaverit, perforator aut lacerator. Ad secundum, tonica et astringentia, eaque ingesta vel injecta, cibus validus, meracum, exercitatio, insolatio, martialia, etc. quæ totam mulieris œconomiam et uteri substantiam roborandi vim habent.

Morbus anterior, generalis aut particularis, unde mali labes, idoneâ medelâ impugnandus est.

SPECIES TERTIA.

De spurâ, quæ ab uterinis hydatidis, graviditate.

Si quis de nidulantibus in utero hydatidis dubium aut controversiam moveat, hunc ad practicum observata confugere oportet. Quæ si attentè legerit, supradictis sanè bestiolis aut vermiculis obnoxias quidem juvenculas et virgines, adultas verò mulieres et matres-familias, præsertim labente jam ætate et desinente menstruorum fluxu, obnoxiores esse persuasum habebit.

Undenam hydatidarum origo? Quamvis non unica assignari soleat, veram tamen, nisi ex ingenitâ accidentalive uteri atoniâ, nos ignorare non diffitemur. Sed tantam non nostrum litem componere; de quâ fusius apud naturæ indagatores.

Pluris autem intererit, si prædicta animalcula inter et fœtulum cujus in utero præsentiam simulant discrimen exposuerimus. Quod profectò quàm arduum sit, norunt omnes, nisi bonæ fidei valedixerint. Hic enim fluctuatio obscura aut nulla; mulier a morbi initio eadem aut plurima quæ prægnans patitur incommoda. Quantâ igitur calliditate opus est? Quibusdam tamen in casibus serum et sanguis, vel a secundo ad ultimum usque graviditatis mensem, alternis vicibus, crebrius rariusve e genitalibus fluere; insuper os uteri non connivere, neque mutari, hiare verò eandemque formam et situm conservare a clarissimo professore

Perey observatum est. Hinc major hydatidarum probabilitas quæ certitudinis gradum obtinet, omneque semovet errandi periculum, si hydatigenæ vesiculæ, animatæ aut inanimatæ, discretæ aut conjunctæ, ribesii ramusculo aut uvæ racemo similes vulvâ egrediantur.

Quæ animalcula quidem non semper in utero hospitari; sed inde ocius tardiusve, a primo ad decimum mensem, solis naturæ viribus expelli solent. An igitur expectandus ille morbi terminus? Minimè quidem, si de hydatidarum præsentia constiterit; mulier enim hæmorrhagiæ, syncopes et vitæ quam posset cum sanguine fundere, discrimen adiret, præsertim, si mola vesicularis divisa non integra excluderetur. Tunc igitur uterum instimulare oportet ut tam molestos hospites foras ire cogat. Quamobrem muriatis sodæ solutio, aquave marina aceto permixta, in uterum injicitor: quibus profectò nihil efficacius comprobavit experientia.

SPECIES QUARTA.

De spuria, quæ ab uterino hæmatope, graviditate.

Plurima passim apud auctores enarrantur exempla mulierum quæ se gravidas existimabant, cum majorem minoremve sanguinis quantitatem utero gererent. Hinc spuria graviditatis species cui obnoxia memorantur etiam virgines aut inuptæ juvenulæ quarum vagina meninge occluditur, puerperæ quibus uteri orificium fortuitò obseratur, aut vicinis partibus accrescit, denique vetulæ, cum jam ad extremam sæcunditatis menstruorumque periodum ventum est.

Quæ cum ità se habeant, vana aliquandò fiduciâ per consuetum graviditatis spatium deludi solent mulieres. Tunc quidem pedetentim, celeriori lentiorive gradu, hypogastrium intumescere, corrotundari, minimè tamen dolere, molestari verò tantùm aut fatigari lumbos, inguina, femora. Intereà nulla vel obscura liquidi fluctuatio ob facilem sanguinis coagulationem, sed phænomenorum quolibet mense reditus et exasperatio; quo enim tempore menstrua fluere solebant, tumorem repente crescere, stare verò per intervalla.

Quæ profectò signa, si insuper nulli appareant foetuli motus, mulierisque sanitas, ut fieri solet, in pejus vertatur, pathognomonica habenda sunt, atque spuriam de quâ nunc graviditatem a genuinâ secernunt.

An uterus tantâ sanguinis copiâ infarciri atque distendi, ut contractilitatem amittat; an et, hujus inertiae causâ mulieri lumen prius adimi possit quàm manus ipsi tendatur auxiliatrix? Quod certò quam ingenitis supradicti organi proprietatibus absonum videatur nemo non sentit, nisi penitus obstructum illius orificium insuperabilem sanguini moram faciat. Tunc autem uterus vehementer enixus et conquassatus in pelvim imò ad vulvam usque protruderetur naturalemque partum simularet.

Hinc naturæ velociter adjuvandæ necessitas liquet: emollienda tunc uteri cervix, reserandumque orificium; si balnea, fumigia, injectaque non sufficiant, digiti, cautè tamen, admovendi sunt; denique si os uteri impervium fuerit, pars cætera vaginæ contigua incidenda est; hæc autem ad chirurgiam operatio quam hîc describere alienum et prolixius esset.

SPECIES QUINTA.

De spuria, quæ a physometria, graviditate.

Physometria seu uterina tympanites vulgò duplex; alia quidem vera cum uterus, folliculi instar, aerè inflatur, alia verò spuria, cum hoc organo flatus eructari solent.

Aer-ne in prædicti organi cavo generari, an foris in ipsum irruere? Utriusque, si veritati consonat, causa tamen differt. Hinc enim oris uterini dilatatio, cinguli quo circumdari puerperarum abdomen, linteorumque vulvæ, dum catamania aut menstrua fluunt, apponi solitorum omissio; illinc spastica uterinæ cervicis constrictio, aut per membranam oclusio; utrinque verò organi atonia et defectio.

Vera physometria majori minorive, levi, circumscripto, uniformi, sonoroque hypogastrii tumore, lumborum, inguinum, femorumque molestia, dolore, desidendi mingendique difficultate indicatur; spuriam verò,

invitâ etiam muliere, uteri latratus, seu flatulenti sonoriq̄ue ructus proclamant.

Prior tamen sola est quæ genuinam graviditatem molamve mentiri incautosque fallere possit. Verum discrimen parumper attendentis cujuspiam pungit oculos; tumor enim levis, resonans, immobilis, et circumscriptus aerem, non molam quæ gravis est, neque a fortiori fœtulum qui certo tempore moveri solet, significat.

Neutra autem tympanitæ varietas infausti ominis est, nisi ab anteriori gravissimoque morbo pendeat, quod non frequenter accidit. Prior tamen effœtam, saltem ad tempus, mulierem facere, posterior verò verecundiam incutere, non mortem afferre potest: hâc enim affectæ nihil verentur magis quam si ab adstantibus ructantis uteri vox audiatur.

Quapropter veræ tympanitæ, reserato uteri orificio, medendum est, ut flatus quâ data porta ruant. Quem scopum attinent supradicta ubi de uterino hydropre remedia, balnea, fumigia, incisio, etc.

Quo facto, si venti in carcere remaneant, vi foràs expellendi sunt. Tunc autem vomere alii, alii verò purgari mulierem volunt; quibusdam exercitatio saltatioque placent; sunt etiam qui introductum per os uteri specillum malunt. Optima verò quæ nobis videtur methodus ea est, ut, dum alterâ manu comprimitur et in angustum premitur organum, ipsius orificium alterâ reseretur. Tandem exclusi aeris non secus ac serosi laticis in uterum regressus intercluditur.

SPECIES SEXTA.

De spuria, quæ ab uteri polypo, graviditate.

Uteri polypus dicitur excrescentia carnea, sensu carens, densitate, mole, longitudine coloreque varia, unico solùm crassiori tenuiorive pediculo organi cavo insita.

Cujus causa ab omni stimulo internam uteri superficiem irritante oriri solet; culpari igitur possunt veneris abusus, manustupratio, leucorrhœa diutius prorogata, lues syphilitica, herpetica prurigo, obstetricium,

ulceratio , menstruorum aut loebiorum acrimonia , mutatio quæ a tempore , ut aiunt , critico .

Non mirum ergò quod vegetatio id genus , sterilem et fæcundam , impuberem et adultam , nuptam et innuptam , juvenem et vetulam afficiat .

Si fides observatoribus , excrescentiæ pediculus anticæ aut posticæ uterinæ cavitatis superficiæ , lateribus , fundo , cervicisque cavo , rarius orificio inseri potest .

Polypi autem profundè insiti initia parum aut nullatenus incommoda , vix suspecta , obscura , prorsus incognita .

Progrediente verò aut crescente morbo , uteri molestia , gravitas , distentio , ideòque contractio , et in importunum hospitem reactio ; inde continuus aut intermissus hypogastrii dólör , lumborum , inguinum , femorumque gravitas , uteri prolapsus , mucosa , puriformis , sanguinolenta , parca vel copiosa excretio , major aut minor mulieris debilitas , exinanitio , syncope , aliquandò mors , nondum detectâ morbi causâ .

Remollitâ autem uteri cervicæ , alia apparere phænomena . Compressus enim undequaque tumor orificium subit , cunei instar dilatat , mox in vaginam prominet . Quo tempore explorator index tuberculum tangit gibbosum , levigatum , renitens , sensûs expers , solidoque circumdatum annulo , sub quo distinctus a vaginæ fundo sulcus reperitur . Deinde minor uteri distentio , mitioraque incommoda . Tum superficialia polypi vascula constringi , lacerari ; mucus sanguisque fluere ; languere , debilitari , marcescere , tandemque antea perire mulier quam opportunum ipsi feratur auxilium .

Prolabente verò in vaginam polypo , recti , vesicæ , urethræque compressio , desidendi , mingendique difficultas , continuus molestissimusque gravitatis sensus .

Denique , protruso extrâ vulvam tumore , facilius quidem lotii et excrementorum ejectio , major verò uteri prolapsus , aliquandò inversio , acutus inguinum , iliorum , lumborumque dolor .

Perobscura igitur recens vegetantis et adhuc utero retenti polypi diagnosi ; tunc enim genuinam simulare potest graviditatem quæcum

etiam haud incompatibilis est, nisi utriusque tuborum origini accreverit. Quinimò, polyposas excrescentias in vaginam prolabi incipientes in uteri cavum, superveniente graviditate, regressas ibique ad partum usque abditas memorant. Neque clariorem faciem præbet mucosi, puriformis aut sanguinolenti liquidi fluxus; quippe qui non polypum magis quam molam indicet.

Aliter tamen se res habet, cum tumor uteri orificium subit atque in vaginam delabitur; tunc enim quæ antea tenebrosa luce meridianâ clarior differentia extra dubitationis aleam ponitur. Verùm polypus eò usque progressus, nisi cum graviditate aut molâ, saltem cum uteri inversione aut procidentia adhuc confundi potest; sed hæc ad chirurgiam, non ad obstetricium.

Ex dictis liquet quot et quàm sinistri casus mulieri, supradicto uteri morbo affectæ immineant. Quos ut averterent *Celso* polypum urere, *Fabricio ab Aquapendente* secare, quibusdam tordere placuit. Quibus omnibus utpote periculi plenis, recentior anteposenda ligatura, quæ naturæ imitatrix, maximam inventori *Levret*, non mediocrem emendatori *Desault* laudem fecit.

SPECIES SEPTIMA.

De spuria, quæ ab hysteria, graviditate.

Apud hystericas nervosasque mulieres affici aut mutari uterum plusquam sexcentis observationibus compertum est. Hocce igitur est quamobrem vana tunc graviditatis, imo etiam futuri partûs spes affulgeat. Quâ de erroris specie diarium DD. *Corvisart, Leroux et Boyer*. Vent. an. IX, pag. 471.

Spuriam verò graviditatem plerumque indicare solent turgida mammarum moles, albidis laticis excretio, abdominis uterique extensio, menstruum fluxus aut suppressio, internique motus quibus deludi quidem mulieres haud mirum est, hallucinari verò obstetrices et a fortiori medicos, interjecto saltem tempore, pudere debet.

Cauti ergò sunt quicumque obstetriciam artem exercent ne in tur-

pissimum errorem incidant; quem profectò fugient, si abdomini alteram, alteram verò uterinæ cervici manum admoveant, rem sedulò exploraturi. Tunc quibus non obcæcata sed sana mens erit, his nudum facique inscium veritatis lumen exorietur. Namque in hystericâ aut nervosâ graviditate tumet quidem sed mollescit et aliquandò repente detumescit abdomen; contrâ in prægnantibus tumor renitet, perseverat, sensimque ad fœtuli maturitatem usque augetur. Illinc anomala uteri mutatio, moles solito major quandoque minor, convulsivi abdominalium musculorum, viscerum, genitaliumque motus; hinc uteri continua, plus plusque crescens uteri extensio, tandem, absolutis quatuor aut quinque mensibus, quidam peritis haud ignoti motus qui præsentem vivumque fœtum indicant.

Quæ spuria graviditatis species brevior aut diuturnior, ante præfixum partûs terminum, absolutis plerumque novem mensibus, vulgò clauditur. Aliquandò tamen ad plures annos usque perennare memorant. Sponte verò resolvi aut antihysteriis curari solet.

SPECIES OCTAVA.

De spuria, quæ ab uteri scirrhomate, graviditate.

Hic per uteri scirrhoma intelligere juvat, tumorem majorem aut minorem, renitentem, durum, inæqualem, non dolentem, plerumque stationarium, sæpissime in cancrum vergentem; qui multiplici causâ, nimirum ingenitâ quâdam, ut aiunt, diathesi, lue venereâ, scrophulis, etc. crebriori coïtu, obstetricio, abortu, leucorrhæâ aut metritide acutâ vel chronicâ, menstruorum anomalîâ aut depravatione, tristi præsertim animi pathemate generari solet.

Uteri scirrhoma ulceris-ne causa an effectus? Fibrosa-ne organi substantia, an mucosa ejus membrana prima mali sedes et origo? Hæc non ad nos, sed ad autopsiæ peritos.

Quidquid id est, tumor quilibet quo mutatur uteri moles aut structura genuinam graviditatem saltem ab exordio simulare et incautos fallere potest. Res autem per antecedentia, concomitantia et consequentia vulgò elucidatur.

1°. Præire solet circumstantia quædam individua aut hygienica, morbus scilicet anterior, generalis aut localis, etc. quem ægra sæpe confitetur.

2°. Uteri scirrhomata raro solum, sed aliâ vulgò infirmitate stipatum pathologi memorant. Tunc languere mulier, sæpeque labi in pejus, menstrua, mictus, alvi dejectio non ut sanis; uterina cervix plerumque mutata, quasi extraversa, infundibuliformis; molestari, dolere lumbi, inguina, femora.

3°. Hic morbus perennare, mox in horrendum cancrum degenerare, tandem mulierem pessundare.

Quæ profectò malorum cohortes a genuinâ graviditate procul abesse peritas non latet obstetrices. Insuper, qui circa medium veræ prægnationis spatium in utero manifestantur infantuli motus hunc ab aliâ re quâcumque secernunt.

GENUS SECUNDUM.

De spuris, quæ a mutata uteri appendice, graviditatibus.

Uteri appendices, præsertim ovaria et fallopianæ tubæ, mutari et degenerare non unico probatur extispicio. Quæ organa aliquandò ita induruerunt ut cultelli aciem obtunderent, tantamque molem acquisiverunt ut teste celeberrimo *Morgagni* viginti librarum pondus æquarent. Sexaginta amurcosi liquidi libras in sinistro ovario incarceratas memorat peritissimus *Douglas*. Alii calculos, pilos, dentes, capillos, ossaque ibi invenerunt: quæ omnia ad ovariorum scirrhomata hydropemque contrahemus. Hinc duplex spurie graviditatis species.

SPECIES PRIMA.

De spuria, quæ ab ovariorum scirrhomate, graviditate.

Hanc ovariorum degenerationem crebrius apud innuptas quam apud maritas, sæpissime apud mulieres sæcunditate menstruisque defunctas observari plurima exempla docent. Cujus autem causa, eadem quæ uterini scirrhomatis, nisi assignanda, saltem conjectanda est.

Exordiente morbo, tumor in alterutro vel utroque hypogastrii latere, exiguus, profundus, sensûs quasi expers, tactum fugiens, distinctuque difficillimus, lente progrediens, stationarius, perennis.

Elapsis verò pluribus paucioribusve annis, adaucta uteri moles in suo loco prominet; tunc verò facilius rem discriminare solet medicus in obstetricio versatus, si ad vaginæ fundum et ad uterinæ cervicis latera digitum admoverit.

Interea tumor irritari, dolere, inflammari; inde non naturalis affecti organi cum vicinis adhæsió; inde abscessus quorum materia in abdominis cavum sese exonerare, aut per intestinum, vaginam, hypogastrii integumenta, demum quâ datus exitus fluere solet. Quidam, rari tamen, referuntur casus in quibus stupendæ molis ovaria triginta per annos, illæsis ægræ rebus steterunt. Quinimò, vix credibile! cum scirrhomata alterutri tantum lateri insideret, mulier pluries concipere, prægnare et parere potuit.

Ardua igitur et difficilis præsertim ab exordio hocce mali genus inter et graviditatem differentia; itaque expectantæ obstetrices, donec a falso verum secernere queant. Tunc diagnosis potissimum ovarii incremento, non mutatis uteri mole et formâ sed aliquando situ, volvitur. Insuper considerare oportet quæ causa præcesserit, quæ symptomata concomitarint, quænam præsertim morbi perennitas et finis. Hæc ne minimam quidem cum genuinâ graviditate habent analogiam.

Ovarii scirrhomata, saltem non irritatum aut inflammatum, plus molestiæ quam periculi habet; ergò non tangendum est. In hoc omninò seduli sunt medici ut, nisi prosint, saltem non noceant. Quamobrem salubria hygiènes auxilia invoceantur; plerumque nociva, semper inutilia pharmaca procul amoveantur.

SPECIES SECUNDA.

De spuria, quæ ab ovarii hydrope, graviditate.

Hic morbus præcedentis affinis, vulgò comes aut pedissequus est; cui ovarium plurimis vesiculis sero plenis, cellularique telâ internexis

conflatum, necnon propria meninge peritonæoque obductum prædisponi solet.

Undenam autem incarceratus ovarii hydrops? Undique hic ambages, undique conjecturæ; eadem forsitan quæ scirrhomatis causa: sed ad certiora properandum est.

Ab exordio, tumor in utroque alterutroque hypogastrii latere exigus, circumscriptus, minimè dolens, profundus, ideòque parum vel nullatenus tactu facilis; quo nondum perturbantur mictus, alvi secessus, menstrua.

Progrediente morbo, tumor in dies lentè tamen crescere, vacillare, ad declivia procumbere; tunc obtusus continuusque dolor, gravitatis sensus ad inguen, ilium, coxam, ejusdemque lateris membrum proserpens.

Interjecto dein longiori aut breviori tempore, vicina organa repelli, comprimi, irritari, inflammari, mutari; hinc ovarii cum remotis adhæsiō, abdominalium viscerum distractio, uteri depressio, deviatio, coxæ, inguinis, viciniquæ femoris œdematia, abdominis inæqualitas, quandòque liquidi fluctuatio.

Tandem integra abdominis repletio, ventriculi, hepatis, diaphragmatisque repulsio, digestionis, respirationis, circulationis, etc. alteratio; hinc consumptio, quandòque kysti ruptura, morsque propera.

Ergò liquidum est quânam periodo ovarii hydrops uterinam aut extra-uterinam graviditatem simulare, quânamve ab utraque secerni possit. Ineunte morbo, res in ancipiti hæere, progrediente verò, elucidari, tandem provecto, oculos percellere. Hanc autem unicam diagnoseos anchoram memoriter tenent practici, genuinam scilicet non adesse graviditatem quoties idem servatur uteri status nullique percipiuntur fœtuli motus.

Quod ad prognosim et curationem, idem fere ac scirrhomatis; ovarii hydrops, salvâ muliere, imo non amissâ concipiendi pariendique facultate, medio fere sæculo perennasse legitur. Medicamenta ergo nulla aut pauca sed innocua dantur; hygiene mulieri sufficit. Si tumor tantum molis acquirat, ut suffocationis periculum immineat, triquetra

acu pertunditor. An et quando ovarii incisio et extirpatio? Hæc ad chirurgiæ peritissimos.

GENUS TERTIUM.

De spuris, quæ ab abdominis mutatione, graviditatibus.

Morbificæ abdominis mutationes sexcentæ quarum præcipuæ et frequentissimæ ascites, tympanites, sanguinis aut puris collectio, mesenterii tumor, scirrhomæ, atheromata, etc.; verum, ne prolixius, paucis tantummodo de ascite et tympanite dicendum superest.

SPECIES PRIMA.

De spuria, quæ ab ascite, graviditate.

Ascitæ causa, prognosis et curatio ad medicos et chirurgos, diagnosis autem ad obstetrices, saltem in fæmineo sexu, cum morbus ad genuinam graviditatem similitudinem habet. Sequentia verò manifestum discrimen faciunt.

1°. Ascites morbus est vulgò chronicus, sæpe acuti sequela aut effectus, in quo tumor abdominis ab imo sursum non mutato utero crescit, ad latera diffluit, fluctuante liquido repletur, tandem viscera comprimit, macerat, ægramque pessundatam enecat.

2°. Genuina graviditas naturalis propriusque mulieris status est in quo uterus, vigente adhuc fæcunditate, post conceptionem, per novem menses, in ovatum, renitentem, antrorsum prominentem, mobilique fœtulo plenum tumorem distenditur.

SPECIES SECUNDA.

De spuria, quæ ab abdominali tympanite, graviditate.

Quæcumque de ascite hæc fere de tympanite dici possunt, si tamen percussi tumoris sonitum, levitatem, majorem renitentiam, circumscriptionem, atque fluctuationis absentiam exceperis. In præsentia non secus ac supra, qui non mutatur uteri status, firma est quâ diagnosis fundatur anchora.

CONCLUSIO.

Supra memoratis attentam quisquis mentem adhibuerit, huic procul dubio varias spuriae graviditatis species, praesertim inter se implicatas, haud extricatu faciles esse persuasum erit; neque tamen quaestionis solutionem omnino in desperatis positam existimet. Aretis quidem et intortis ab exordio nexibus illaqueatur, quod iisdem ideòque incertis et aëquivocis tum genuinae cum spuriae graviditatis initia phaenomenis stipari soleant; elapsis verò mensibus aliquot, a vero falsum secernere, tantae molis non esse monent practici. Tunc enim perennibus aut mutatis uteri situ, formâ, mole, et obscuris aut manifestis foetuli motibus ariadneum appenditur filum quo resolvi ambages caecaque vestigia plerumque regi solent. Quemcumque igitur, dum veritas illuxerit, expectare non tædet, is praefecto rarius a recto tramite aberrans pluribus mulieribus foetulisque profuturus erit.

Quasdam autem, pro temporis angustia, uteri, aut ejus annexorum aut abdominis mutationes, unde aliae spuriae graviditatis species derivari possent lubenter omisimus. Sed quae in hoc opusculo desiderantur ea fusius explanata legi poterunt in tractatu de morbis mulierum quem jam typis mandaturi sumus.
